



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae

Schnorrenberg, Anno

Coloniae, 1740

§. 1. Quid & quotuplex Judicium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62040](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62040)



LIBER III.
INSTITUTIONUM
CANONICARUM.

DE
JUDICIIS.

IN Libro primo institutionum de Personis Ecclesiasticis: In secundo de rebus Ecclesiasticis actum fuit: in præsentī, sive tertio de Judiciis Ecclesiasticis ad interesse, vel commodum privatum, seu ad satisfaciendum parti tendentibus agetur:

TITULUS I.

DE
Judiciis.

§. Primus.

Quid, & quotuplex Judicium.

Quæres primò. Quotupliciter sumitur judicium?

R. Cum Glossa in Regulam primariam presentis materia: In judiciis non est per-

sonarum acceptio habenda. 12. de Regul. Juris in 6. Quatuor modis judicium sumitur. 1. mō. Pro iis, quæ antecedunt sententiam condemnatoriam Judicis, sive

sive pro discussione causæ : & tali modo in præfenti accipitur. 2dò. Pro ipsa sententia Judicis : & hoc modo sumit *Doctor Angel.* 2. 2. q. 63. a. 4. Dum dicit, quod judicium sit actus justitiæ, quo Judex ad æqualitatem justitiæ reducit ea, quæ inæqualitatem oppositam facere possunt. 3tò. Pro discretionem sive arbitrio prudentis & discreti viri. 4tò. Pro ultima voluntate.

Quæres secundò. Quibus nominibus, & quare judicium appellatur ?

R. Cum *Ilidoro* relato in *cap. forus.* 10. de *Verb. signif.* 1mò. Vocatur judicium, quasi jurisdictionis, & justitiæ quasi juris status. 2dò. Judicium prius inquisitio vocabatur : unde & Authores judiciorum, præpositos, quæstos, vel quæstos appellamus. 3tò. Vocatur etiam negotium, quod multa significat : modò actum alicujus rei, cuius contrarium est otium : modò actionem causæ, quod est jurgium litis, & dictum est negotium, id est sine otio. Negotium autem in causis, negotiatio in commerciis dicitur, ubi aliquid datur, ut majora lucrentur. 4tò. Judicium etiam dicitur jurgium, quasi juris garrum : eò quod hi, qui causam dicunt, jure disceptent. 5tò. Demum judicium nuncupatur lis, quæ nomen sumit à contentione limitis, de qua *Virgilius* :

Limes erat positus, litem ut discerneret agris ?

Quæres tertio. Quid est judicium ?

R. Judicium ita describi potest : Est discussio causæ, quæ ritè fit in foro coram iudice. §. restat. 1. institut. Canon.

Dicitur 1mò. Discussio causæ ; causa à casu, quo venit, dicitur : est enim materia & origo negotii, vel litis discussionis examine patefacta, quæ dum proponitur causa est, dum discutitur judicium, dum finitur justitia. *Cit. cap. forus.* 2dò in foro. Forus est exercendarum litium locus, à fando dictus, sive à Foroneo Rege, qui primus Græcis legem dedit. Constat autem forus causâ, lege, & judicio, hoc est, ut inquit *Gloss. in cit. cap. forus.* Forum ornat causa, lex, & judicium : Causa, quæ proponitur, lex, juxta quam discutitur, & deciditur, & judicium, quo discutitur, & deciditur.

Quæres quarto. Quæ personæ pertinent ad judicium ?

R. Iterum ex *cit. cap. forus.* In omni negotio hæ personæ quærentur : Judex, accusator, reus, tres vel duo testes. 1mò. Judex, dictus quasi jus dicens populo, sive quod jure disceptet : jure autem disceptare est justè judicare. Non est ergo Judex, si non est in eo justitia. 2dò. Accusator, sive actor vocatus est, quasi causator, qui ad causam vocat eum, quem appellat. 3tò. Reus à re, quæ petitur, nuncupatur : quia quamvis conscius sceleris non sit, reus tamen dicitur, quamdiu in judicio pro re aliqua petitur. 4tò. Testes antiquitè superstites dicebantur, eò quod super causæ statu proferebantur : nunc, parte ablatâ nominis, testes vocantur.

Quæres quinto. An in omni judicio personæ illæ distinctæ esse debeant ?

R. Affirmativè cum *Fabiano Papa* in *Can.*

Can. nullus. 1. caus. 4. q. 4. Nullus unquam præsumat accusator simul esse & Judex, vel testis; quoniam in omni judicio quatuor personas necesse est semper adesse: id est: Judices electos, accusatores idoneos, defensores congruos, atque testes legitimos. Judices autem debent uti æquitate, testes veritate, accusatores intentione ad amplificandam causam, defensores extenuatione ad minuendam causam.

Quæres sextò. Quæ de jure natura ad ordinem judicarium requiruntur?

ꝛ. Jure naturali ad judicium hæ partes requiruntur: Citatio rei, actoris petitio, & probatio, exceptio & defensio, Judicis sententia & executio, colligitur ex *Clement. Pastoralis. de Sentent. & re judicat.* Ita, ut nequidem supremus Princeps, qui quoad partes jure humano & positivo inventas ad Ordinem judicarium servandum non astringitur, reum non citatum legitime, & non auditum condemnare non possit. Ratio est; quia postquam crimen grave ad Judicem delatum est, facultas defensionis adimi nequit, eò quod hæc sit juris naturalis: condemnare autem reum non citatum, nec auditum, est ipsi necessariæ defensionis arma præripere, quibus vel negando crimen, si illud occultum, vel non semiplenè probatum, vel excusando delictum, eo quo licet modo, se se defendere potest. Eodem modo Princeps supremus reum ex sola scientia privata absque alia probatione condemnare nequit. *Can. nos. 1. & seq. Can. Deus omnipotens. 20. caus. 2. q. 1. Can. nullum. 10. Can. judicantem. 11.*

c. 30. q. 5. Fiunt exceptiones sequentes: *1ma.* Quando periculum rebellionis vel alterius gravis mali in Republica timetur, si juridicè procedatur: tunc enim Princeps sententiam contra non citatum ferre potest; dum tamen causa privatim discutiatur, si omninò evidens non sit. *2da.* Si delictum notorium, ut nullà tergiversatione celari possit, reus sine ulla probatione condemnari potest: eò quod factum notorium & publicum vicem accusationis & testium habeat, nec reo justam aliquam defensionem relinquat, cum notoreitas delicti publicam scientiam faciat, ad actum publicum justitiæ exercendum. *Can. manifesta. 15. & seq. c. 2. q. 1. cap. ad nostram. 21. de jurejur. cap. evidentia. 9. de accusation. cap. de hoc. 11. de Simon. 3tia.* Quando non de puniendo delicto, sed de amovendo impo-sterum malo Reipublicæ impendente agitur, si alià viâ malum averti nequeat, Princeps mandare potest, ut ille, à quo malum imminet, occidatur, licet id privatâ scientiâ sciatur: in tali enim casu non ut Judex ex autoritate publica, sed tanquam privatus Rempublicam sibi commissam defendendo procedit.

Quæres septimò. Quæ jure positivo tela judiciaria, vel quis ordo in judiciis servandus?

ꝛ. *1mò.* Actor Judicem adit, oblatoque libello, quem supplicam vocamus, summarie Judicem de causa litis informat, rogatque, ut processum admittat.

2dò. Decernitur à Judice citatio, & per

per publicum juratumque Ministrum juberetur reus ad certam diem comparere juris experiendi causâ.

3^{to}. Citatio ab Actore in judicio reproductitur, & reo comparenti ab actore libellus offertur.

4^{to}. Libello edito reo dilationes de liberatoriâ dantur, hoc est induciâ deliberandi, num velit contendere, vel potius liti cedere, satisfaciendo petitioni actoris.

5^{to}. Si reus elapso termino contendendum putet, proponit primo loco, si quas habet exceptiones fori declinatorias, vel judicii dilatorias, aut etiam mutua petitionem, vel reconventionem instituit.

6^{to}. His deficientibus reus ad libellum actoris responderet, quo factò lis dicitur contestata.

7^{imo}. Ante vel etiam post liti contestationem ab utraq; parte juramentum calumniæ præstatur: deinde fiunt positiones, id est articuli, super quibus pars adversa examinatur, ut veritate sic compertâ ad alias probationes procedere necessè non sit. Antequam tamen actor articulos exhibeat, juramentum dandorum emittit, quo se obstringit, quod nullos articulos dare velit, quos non sciat, vel non credat esse veros: econtra reus antequam respondeat, juramentum respondendorum emittit, se nihil negaturum, quod non sciat, vel credat esse falsum.

8^{avo}. Si actor & reus in articulis propositis discrepent, testes aliaque probationes inducuntur, quibus altera pars exceptiones opponit, quas actor

R. D. Schnorrenberg Instir. J. Can.

replicatione diluit, hanc reus duplicatione elidit, & sic deinceps.

9^{no}. Post deductas probationes, exceptiones, replicationes, duplicationes, &c. partes concludunt in causa, & submitunt, id est, Judici causam, ut eam suâ sententiâ finiat, submitunt.

10^{mo}. Demum à Judice sententiâ profertur, à qua nisi intra decem dies appellatum, aut si appellatum, nisi appellatio intra certum tempus sit introducta, lapsis fatalibus causa, vel appellatio deserta censetur, & sententiâ transit in rem judicatam, ac absque ulteriori auditione condemnati mandatur executioni, ut judicium finem suum & effectum sortiatur. Hæ sunt solemnitates, & actus præcipui processûs judiciarii, qui tamen ex stylo cujusc; Curia sæpius variantur.

Quæres 11^{avo}. Quæ personæ in judicio stare possunt?

R. Actor & reus legitimam personam standi in judicio habere debent; alioquin judicium cum illis agitatum est nullum; probatur ex pluribus legibus. *Cod. tit. qui legitimam personam standi in judic. &c.* Omnes autem in judicio stare possunt, qui nullo jure prohibentur; nam ipsa æquitas dicat, quemvis jus suum privatum vel publicum Reipublic. tueri posse, aut sub persona Actoris petendo, quod vel suum vel Reipubl. est, aut sub persona rei injurias ab Actore intentatas repellendo. Prohibentur autem 1^{mo}. Servus, qui in judicio nec agere, nec conveniri potest, nisi causa statum aut

K k k

uti

utilitatem Reipubl. concernat, L. 6. & 7. Cod. de judic. Hæc autem de servis propriè dictis intelligenda sunt.

2dò. Pupillus. Hic si infans, vel absens sit, nomine ejus judicium suscipit tutor, L. 1. §. sufficit. ff. de administrat. & pericul. tutor. Si verò infante major, & præsens, tunc vel ipse tutor nomine pupilli, vel pupillus tutore authore agit, L. 1. & 2. C. qui legit. person. standi in judic.

3tò. Minor viginti quinque annis, nisi assistente Curatore, in judicio stare non potest, quo si careat, etiam invito datur Curator ad litem, quamvis ad actus extrajudiciales minori invito Curator non detur, nisi esset rerum suarum dissipator, §. 2. institut. de Curator.

4tò. Prodigus, cui bonorum suorum administratio interdicta est, in judicio stare non potest; nam hic quoad alienandum, & conditionem suam deteriorandam æquiparatur furioso & infanti, L. 6. ff. de V. O. In cæteris similis est pupillo, qui sibi prodesse, sed obesse non potest. Princip. institut. de Authorit. tutoris.

5tò. Filius familiæ sub Patria potestate constitutus, licet major 25. annis de peculio profectitio & adventitio sine consensu Patris in judicio agere non potest; in reliquis tamen causis, ut peculio castrensi vel quasi castrensi, & aliis, tam actionem intentare quàm excipere potest. Item de Jure Canonico in causis beneficialibus, spiritualibus, & annexis in judicio agere potest; ad has enim causas Patria pote-

tas se non extendit. Cap. fin. de judic. in 6. Item alieno nomine sine consensu Patris tanquam Procurator in judicio stare potest. Cap. qui generaliter. §. §. necdum de Procurat. in 6.

6tò. Religiosus nec per se nec per alium judicium sine licentia sui Superioris suscipere potest; ab ejus enim voluntate per votum obedientiæ ita dependet, ut secundum se neque velle, neque nolle habeat. Can. non dicatis. 11. caus. 12. q. 1.

7tò. Mulier in causis criminalibus agere, seu accusare nequit. De crimine, quod publicorum fuerit judiciorum, mulieri accusare non permittitur, nisi certis ex causis, id est, si suam suorumque persequatur injuriam. L. 12. C. de his, qui accusare non possunt. In causis civilibus quidem agere potest, sed à Judice cogi nequit, ut personaliter compareat, nisi ex causa valde urgenti & necessaria. Cap. mulieres. 2. de judic. in 6.

8tò. Quilibet excommunicatus excommunicatione majori etiam non denunciatus, licet in judicio conveniri possit, nequit tamen alium per se, vel per alium, aut Procuratorem convenire, aut reconvenire; sed Judex etiam non oppositâ exceptione excommunicationis excommunicatum à judicio repellere potest. Cap. intelleximus. 7. de judic. cap. cum inter. §. de exceptionib. Huc pertinent etiam deportati, Ban-niti, &c.

Quæres nondò. In quibus casibus minor sine autoritate Curatoris in judicio stare potest?

R. In sequentibus: 1mò. Si veniam ætatis

ætatis impetraverit, quæ masculis anno 20. fœminis 18vo dari solet. 2^{dd}. Si suam injuriam, vel vitam propinquorum defendat. 3^{id}. Si minor intentet judicium possessorium, *L. fin. cod. qui legitim. person. standi in judic.* 4^{id}. Si minor pubes sive Clericus sive Laicus super re Spirituali vel eidem annexa contendat. *Cap. fin. de judic. in 6.*

Quæres decimò. In quibus casibus Religiosus in judicio stare potest?

1^o. In sequentibus. 1^{mo}. Si Religiosus habeat beneficium, quamvis manuale, & ad nutum revocabile, cui annexa aliqua administratio, super juribus illius agere & conveniri in judicio potest. *Cap. cum deputati. 16. de judic.* 2^{do}. Si Religiosus de licentia sui Prælati extra Monasterium in Studiis vel Parochia degens injuriatus, vel Spoliatus sit, agere & se defendere potest; eo ipso enim, quod talem licentiam habeat, censetur habere facultatem faciendi ea, sine quibus ibi commodè esse non potest. 3^{id}. Religiosus suum Prælaturam de crimine accusare potest. *Cap. ex parte. 11. de accusat.* 4^{id}. Religiosus in judicio agere potest, si electus ad Prælaturam vel dignitatem: item si agatur, an valida illius professio? an justè ejectus? si ei alimenta denegentur. 5^{id}. Religiosus ad judicium admittitur, si pro defensione sui Prælati incarcerati, vel pro rebus sui Monasterii malè alienatis agere velit, expensæ autem judiciales in his & similibus casibus de rebus Ecclesiæ vel Monasterii subministrari debent. *Cit. cap. ex parte.*

Quæres undecimò. Quotuplex judicium?

1^o. 1^{mo}. Dividitur judicium ex diversitate personæ judicantis in Ordinarium & extraordinarium. Ordinarium est, quod coram Judice ordinario in reum jurisdictionem ordinariam habente peragitur: extraordinarium est, quod coram Judice delegato perficitur. *Cap. quoniam. 11. de probationib. junct. Gloss.*

2^{do}. In judicium Ecclesiasticum & Sæculare. Ecclesiasticum est, quod coram Judice Ecclesiastico agitur: si videlicet lis sit vel de rebus Spiritualibus inter litigantes sæculares, vel de rebus temporalibus, si aut duo Clerici se mutuo conveniant, aut Laicus actor contra reum Clericum agit. Sæculare est, quod coram Judice Laico non solum inter Laicos, sed etiam inter Clericum Actorem ex una parte, & Laicum reum ex altera parte instituitur: in tali namque casu Clericus Actor forum rei sequi debet.

3^{id}. Ex diversitate materiæ judicium in petitorium & possessorium dividitur. Petitorium est, in quo directè de Dominio & proprietate rei alicujus extra possessionem quæritur, ut si res vindicetur, hæreditas petatur, &c. Possessorium est, in quo de sola possessione vel quasi possessione sive adipiscenda, sive retinenda, sive recuperanda disceptatur: veluti si Actor solum petat, ut adipiscatur possessionem, quam antea nunquam habuit, vel ut retineat quietam rei possessionem, vel ut amissam recuperet.

4^{id}. Ratione formæ in judicium

Kkk 2

ple-

plenarium sive solemne, & in Summariario dividitur. Plenarium & solemne vocatur, in quo solemniter servato juris ordine proceditur. Summariarium est, in quo absque solemnitatibus ordinis judicarii simpliciter & de plano absque strepitu & figura judicii solâ rei veritate inspectâ proceditur.

Demum ratione finis judicium dividitur in civile & criminale. Civile est, quando ad commodum privatum principaliter agitur, sive actio ex delicto vel crimine aliquo, sive ex contractu descendat. Criminale est, quando ex delicto ad commodum vel vindictam publicam principaliter agitur. Pater in exemplo furri. Ex furto quis contra furem agere potest, vel ut illud, quod furto ablatum, sibi restituat, & tunc actio civilis est, vel ut pœnam Reipublicæ debitam exsolvat, & tunc actio criminalis est.

Quæres *duodecimò*. In quibus casibus summariè procedendum?

R. Licet certæ causæ de jure sint expressæ, in quibus judicio Summario locus est, ut causæ electionum, postulationum, beneficiorum, decimarum, usurarum, causis Matrimonialibus. *Clement. dispendiosam. 2. de judiciis. cap. quoniam. §. ut lite non contestata.* Attamen in aliis etiam causis tam Ecclesiasticis quàm Sæcularibus summariè procedi potest, si vel ita à Principe vel Papa committantur, vel modici sint præjudicii, aut celerem expeditionem exi-

gant: ut causæ miserabilium personarum, pupillorum, viduarum, studiosorum, mercatorum, tributorum, &c. imò jam passim usus in foro obtinuit, ut etiam absque commissione Principis in quibûsvis causis summariè procedere liceat: adeò, ut in arbitrio partium sit, utrum summario an ordinario judicio contendere malint. Et supposito quod elegerint contendere summariè, adhuc sine appellatione finito summario judicium ordinarium coram eodem Judice incipere possunt.

Quæres *ultimo*. Quæ in judicio Summario prætermitti possunt?

R. Id explicatur in *Clement. sepe. 2. de V. S.* Quando causa commissa est, & de plano sine strepitu & figura judicii procedi mandatum, libellus non exigitur, litis contestatio non postulatur, tempore feriarum ob necessitatem hominum indultarum à jure fiunt actus judiciales, amputatur dilationum materialis, quantum fieri potest, fit brevior, exceptionibus, appellationibus dilatoriis & frustratoriis rejectis, partium, Advocatorum, & Procuratorum contentionibus & jurgiis, testiûmque superflua multitudo refrænatis. Non tamen sic Judices litem abbrevient, quin probationes necessarias & defensiones legitimas admittant. Citatio etiam & præstatio de calumnia vel malitia sive de veritate dicenda, ne veritas occultetur, non intelligitur exclusâ.

* * * * *
* * * * *
* *
*